



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Quæstio XI. In Tit. XI. De Temporibus Ordinationum, Et Qualitate
Ordinandorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

QUÆSTIO XI.

IN TIT. XI. DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, ET QUALITATE ORDINANDORUM.

1109. **C**UM ad potestatem Prælatorum, præsertim Episcoporum, specialiter pertineat, *Ordines conferre*, de hoc agitur præfente, & sequentibus titulis. *Ordo* autem dupliciter sumitur. 1. pro Spirituali potestate conficiendi corpus Christi, vel ministrandi ad illud; 2. pro ipso ritu solenni, quo talis potestas confertur; quibus præmissis: dubium primum est, an prima tonsura sit verus *Ordo*; & affirmativam doceri cum aliis à Fagnano in c. *cùm contingat*, de *atat. & qualit.* cum communi Canonistarum: quia in *cit. c.* expressè dicitur, quòd *per primam tonsuram*, juxta formam Ecclesiæ datam, *Clericalis Ordo conferatur*. Deinde Sixtus V. motu proprio, edito An. 1588. nonis Januar. appellat illam, *Characterem Clericalem*; ut videri potest apud Pereyram in *Elucidario* n. 1650. sed hoc, cum D. Thoma 3. p. in *supplem.* q. 4. a. 3. negant Theologi, volentes, ibi Ordinem sumi latè pro *sola dispositione ad Ordines*; cum ipsum Tridentinum *Sess. 23. c. 6. primam tonsuram distinguat à minoribus Ordinibus*, ut liquet ex illis verbis: *nullus primam tonsuram initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus*.

1110. Pro solutione contrariorum notandum, hoc verbum *Ordo*, habere multiplicem significationem. Nam primò apud Philosophos (teste Vasquez 1. p. *disp.* 67. *cap.* 1.) Est habitudo plurium ad unum primum, seu ad unum prius: secundò, significat etiam statum quemvis, sive civilem, sive Ecclesiasticum, ut dicamus aliquos esse in ordine Senatorio, equestri, plebeo, Laico, Clericali, Religioso: Tertio apud Jurisperitos usurpatur *ordo* pro recto tenore litis, secundum jus; & dicitur *ordo juris*; item pro Curia, & Concilio: juxta quam acceptionem est titulus 59. c. *lib.* 10. *de his, qui in exilium dati vel ab ordine moti sunt*. Ad quam Rubricam Garcia, & alii, *ordo* (inquiunt) cujus hic fit mentio, est *ordo antiquus ille Decurionum*, qui appellatur *Curia*; & idem est, quòd hodie *Concilium, Capitulum, Consistorium Decurionum, Consiliarium, & Rectorum ci-*

Tom. I.

vitatum, ac municipiorum, de quo loquitur *titulus ff. de Decretis ab ordine faciend.* Unde *ab ordine* moti dicuntur, qui à Consilio, Consistorio, & Curia Decurionum remoti, interdicti, & suspensi sunt ad tempus, ut colligitur ex *L. 1. & L. 2. sub illo tit. 59. Cod. lib. 10.*

Not. 2. apud Theologos verbū *ordo* latius patere, quàm hoc verbum *gradus*; quia (ut bene notat Albericus V. *ordo*) in Divinis personis datur *ordo*; & non *gradus*. Hinc istis acceptionibus prætermisissis, notandum ulterius, per hoc Verbum *ordo* strictè sumptum, & quasi antonomasticè, significari certum quemdam *gradum*, sive *Statum Clericorum*, ad certa Ministeria Ecclesiastica consecratum; Sic Trid. *Sess. 23. cap. 4.* ex Anacleto. *epist. 1. cap. 1.* Cypriano *lib. 2. epist. 5.* & aliis Patribus, *Ordines Ecclesiasticos*, *gradus* vocat. Sumitur etiam pro illa actione, qua Clerici consecrantur, quæ distinctionis causâ *ordinatio* propriè appellatur.

Ex hoc deducitur, *Ordinem*, sumptum pro *gradu*, latius patere; quàm *Ordinem* sumptum pro *Sacramento*, seu signaculo, vel signo sacro, quo specialis potestas traditur ordinato, & officium, qualiter definitur *Ordo*, à Magistro in 4. *diff.* 24. quo posito. & ad 1. in n. 2109. *Ordinem in cit. c. cùm contingat*, sumi latè, nimirum pro quodam gradu, seu deputatione ad chorum, & Ordines suscipiendos; non autem strictè, prout importat signum sacrum, quo specialis potestas traditur. Ad 2. & quando Sixtus V. *primam tonsuram* appellat *Characterem Clericalem*, non esse ex eo, quòd existimet per illam imprimi qualitatem Characteris; sed quia nomine *Characteris* intelligit *destinationem ad Statum Clericalem*, ut bene interpretatur Vasquez *tom. 3. in 3. p. disp.* 236. & ideo etiam *Psalmistatum* (quem Bernard. ad c. *cùm contingat*, de *atat. & qualit.* ait, coincidere cum prima tonsura) rectè negat Vasquez c. 1. n. 12. *esse Ordinem*; cum tantum sit officium psallendi, & cantandi Psalmos in choro. Sed nunc veniamus ad ordines,

Q o o

quo-

quorum minores quatuor, majores tres numerantur.

2112. Controversia est, an *Ordo Episcopalis*, quæ talis, sit *Ordo* distinctus ab *Ordine Sacerdotali*? Negant Theologi, affirmant Canonistæ. Videntur autem posse conciliari dicendo, *Episcopatum*, esse *Ordinem*, non *adequatè*, sed solum *inadequatè* distinctum à presbyteratu; cum ille istum, non autem vicissim includat; id, quod probabilius videtur contra opinionem eorum Canonistorum, qui volunt *Episcopatum* esse *Ordinem*, *adequatè* distinctum à simplici *Sacerdotio*, quod fuscè probat Fagnanus in *c. 1. de ordin. ab Episcopo &c. à n. 33.* Nam *Episcopi*, quoad *potestatem Ordinis*, sunt *Presbyteris*, non *Episcopis*, superiores, ut ait *Trid. Sess. 23. Can. 7.* quia scilicet ex potestate sui *Ordinis* conficere possunt quædam *Sacramenta*, quæ à simplici *Sacerdote* confici non possunt, ut per se patet. Deinde constat ex eo, quia in *ordinatione Episcopi* venit *materia*, & *forma* adæquatè distincta à *materia*, & *forma* simplicis *Presbyterii*, ut constat ex *Pontificali*, & *c. Episcopus, dist. 23.* & quod imprimat distinctum *Characterem*, habetur ex *gloss. in c. 1. de ordin. ab Episcopo, qui renunt. V. Executionem.* Quæ verò in contrarium solent objici, videri possunt apud Fagnan. cit.

ARTICULUS I.

De his, qui possunt, vel non possunt ordinari.

2113. Communis doctrina est, quemlibet ordinari posse, qui nullo jure prohibetur. Quidam autem prohibentur recipere *Ordines*, seu *ordinari*, *Jure Divino*. 1. *scæmina*, ratione sexûs, ut constat ex communi sensu *Ecclesiæ*; 2. non *baptizati*, *Baptismò fluminis*, *c. 1. & 2. de Presbyter. non baptizato*; 3. *positivè nolens ordinari*. Nam in *adulto*, *recipiente Sacramento*, requiritur *intentio*, saltem *habitualis recipiendi*, ut docent communiter *Theologi*. Igitur habentes unum ex prædictis *impedimentis* *invalidè* *ordinantur*. Not. autem 1. quando interdum à *Sacris Canonibus* fit *mentio Presbyterarum*, vel *Diaconissarum*, non intelligi mu-

lieres *ordinatas tali Ordine sacro*; Sed *uxores* eorum, qui postea susceperunt *Presbyterium*, vel *Diaconatum*, & hoc suscepto, separatam ab eis *vitam* ducebant propter *votum continentiæ* de illarum consensu, ut notatur *c. penult. & ult. dist. 32.* vel etiam intelligi *viduas*, jam *maturores*, habentes *curam Ecclesiæ*, aut, *benedictione* solum aliqua, *deputatas* ad *legendas homilias* in *choro*, ut notat *Sanch. in Summa l. 7. c. 1. dub. 30.* Et quoniam constat *Hermaphroditos*, in quibus prævallet *sexus scæmineus*, simpliciter pro *scæminis* haberi; si verò *sexus vitilis*, haberi simpliciter pro *viris* (*L. queritur, 10. ff. de statu hominum*) in primo casu *ordinabiles* non sunt; in secundo autem non *ordinandos*, quia *monstruosi* sunt; ita *Sylvest. V. Hermaphrod.*

Not. 2. *Jure Ecclesiastico*, ab *Ordinibus* repelli 1. qui non habent *legitimam ætatem* pro tali *Ordine*, de *jure requisitam*, vel in *te*, vel ex *dispensatione*; 2. *illiteratos*, *carentes scilicet scientiâ*, cuius *Ordini*, de *jure necessariâ*; 3. *adulteros*, *perjuros*, vel *falsi Testimonii*, aut *aliorum gravium criminum Reos* *notoriè*, vel *notorietate facti* per ipsius *delicti evidentiam*, *nulla tergiversatione celabilis*; vel *notorietate juris*, *c. fin. h. t. secus est*, si ea *crimina* sint *occulta*; quia *latentia crimina publicè vendicanda non sunt*, *c. ex tenore, h. t. c. fin. 32. q. 5.* intellige tamen, *nisi talia occulta crimina, de jure, inducant irregularitatem.* Similiter, ab *Ordinibus* repelluntur, *infames jure*, vel *facto*, *c. infames 6. q. 1.* *conjugati*, durante *conjugio*, nisi de *consensu Uxoris*. *c. cum sis, c. conjugatus, c. Uxoratus, de Convers. Conjugat.*

His *annumerantur*, qui post *Baptismum*, semel susceptum, se *absolutè* *rebaptizari* permittunt, etiam *ignoranter* cum *ignorantia juris culpabili*, *c. confirmandum, dist. 50. junct. gloss. V. Rebaptizati. c. 117. & seq. dist. 4. de consecrat. junct. gloss. V. Ordinari*: alij hoc *universallyter* dicunt, de *bis absolutè* *Baptizatis*; & hoc extendunt etiam ad *iterata Sacramenta*, *Characterem imprimentiâ*. Deinde *adulti*, *extra necessitatem*, ab *hæretico* *Baptismum* recipientes, *c. qui in qualib. 1. q. 7.* Nam *infantibus* *error parentum* non officit, *c. placuit, eadem caus. & q. Bap.*

Baptizati in ægritudine propter mortis periculum, c. unic. dist. 57. Neophyti, donec moribus, & vitâ Christianâ satis instrueti videantur Episcopo; Covarr. in Clem. si fructuosus, de Homicid. p. 1. §. 1. n. 7. solenniter, & publicè pœnitentes. c. placuit 68. dist. 50. & c. 1. de Bigam. junct. gloss. V. Pœnitentes: excommunicati, suspensi, interditi, omnes irregulares, sive ex, sive citra delictum; quibus aliqui addunt Novitios Religionum, licet contrarium verius sit, nisi alicubi sit consuetudo contraria.

Not. autem 1. per prædicta impedimenta juris humani, solum illicitam, non autem invalidam esse taliter impeditorum ordinationem. Not. 2. notoriè criminosos, de quibus supra, licet non prohibeantur in c. 4. h. t. & c. fin. eod. ne ad altiorem ascendant, vel in susceptis ministrant peractâ pœnitentiâ; hanc tamen constitutionem c. ex tenore, aliquantum esse correctam à Trid. Sess. 14. de Reform. c. 1. junct. declarat. Card. ibid. Cæterum hæc Ordinum suscipiendorum impedimenta, summatim hic enumerata, suis quæque titulis, ut constabit ex seqq. declarabuntur.

ARTICULUS II.

De his, qui possunt ordinare.

2115. **Q**uæstio est 1. cui competat ordinaria potestas conferendi Ordines? R. solis Episcopis consecratis c. 1. §. ad Episcopum, dist. 25. ibi: ad Episcopum pertinet, Basilicarum consecratio, unctio Altaris, & consecratio Chrismatis; ipse prædicta officia, & ordines Ecclesiasticos distribuit: ipse Sacras Virgines benedicit: & dum præcessit unusquisque in singulis, ipse tamen est præordinator in cunctis, c. quamvis, dist. 68. ubi Leo 1. scribens ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, quamvis, inquit, Chor-Episcopis, & Presbyteris, plurima cum Episcopis ministeriorum communis sit dispositio, quædam tamen, auctoritate veteris legis, quædam novellis, & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverrint: sicut est, Presbyterorum, & Diaconorum, aut Virginum consecratio, sicut constitutio Altaris, ac benedictio, vel unctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec Ecclesias, vel Altaria consecrare licet,

Tom. I.

nec per impositionem manuum, fidelibus baptizatis, vel conversis hæreticis paracletum Spiritum S. tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate Baptizatorum frontes signare, nec publicè quidem in missa quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet Epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita sunt Chor-Episcopis; item c. Aqua 9. de consecrat. Ecclesia, junct. gloss. V. Jurisdictioni, ubi Gregorius IX. aquâ, ait, per Episcopum benedictâ Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum, non negamus; per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes, non obstante consuetudine provinciæ Bracharen: (quæ dicenda est potiùs corruptela) quia, licet Episcopus committere valeat, quæ Jurisdictionis existunt: quæ ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clerico, demandare. Quod autem mandantibus Episcopis super reconciliatione factum est, hæctenus per eosdem, misericorditer toleramus.

2116. Not. autem nomine Episcopi hic etiam venire illi Superiores; 2. quod hic loquamur de potestate ordinaria. Nam aliqui, Episcopis inferiores, ex concessione, vel Privilegio Papæ (Episcopus enim, inferior Papæ, quæ sunt Ordinis, alteri committere, vel delegare non potest, sed tantum, quæ sunt jurisdictionis, c. penult. de consecr. Ecclesie, junct. gloss. V. Jurisdictionis) possunt suis conferre primam tonsuram, & quatuor minores. Nam jure communi antiquo, omnes Abbates, seu Prælati Regulares: modò fuerint Presbyteri, & benedicti ab Episcopo (imò etiam non benedicti in casu, de quo num. 2108.) primam tonsuram, & ex minoribus ordinibus Lectoratum conferre potuerunt (& consequenter Ostiatorum, cum hic ad illum supponatur) non solum suis Religiosis, sed etiam sæcularibus, in quos jurisdictionem quasi Episcopalem obtinebant, c. 1. dist. 69. junct. gloss. V. Lectoris; sed tantum in proprio Monasterio: ex diuturna verò consuetudine iisdem etiam conferre poterant omnes quatuor minores Ordines, ut colligitur ex c. 1. de Ordinatis ab Episcopo, qui Episcop. renuntiavit, junct. gloss. V. à non Episcopis.

2117. Hodie autem, & jure novo, prædicti Abbates, si sint verè tales (non autem, si

O o o 2

Abba-

(Abbatiam solum habeant in commendam, per *Trid. Sess. 23. de Reform. c. 10. junct. primâ declarat. Card. ibid.*) suis subditis Regularibus, imò & Novitiis, juxta probabiliorem sententiam (quam tenet Pirhing hic n. 45. & apud illum Sanchez, Suarez, Layman, & alii) conferre possunt primam tonsuram, & quatuor minores, si sint Sacerdotes, vel mitrati, vel saltem ex Privilegio Papæ Pontificalia exercere valeant; an autem, *nunc*, post Tridentinum, etiam subditis suis secularibus, uti jure antiquo poterant, primam tonsuram, & minores ordines conferre possint? dubitatur, & negativa probabilior est. Nam illi facultati, seu privilegio utpote infero juri communi, derogatur per Tridentinum, esto ejus mentionem non faciat, secundum dicta *de lege derogante*; Sic Fagnanus in c. *Nonnulli, de Rescript. 24.* & alij.

2118. Questio est 2. an cuilibet Sacerdoti, ex speciali Privilegio Papæ, committi possit potestas ordinandi Diaconos, & Subdiaconos (non autem Presbyteros) saltem in casu necessitatis? *Re.* Affirmari à Barbosa, Rodriquez, Tannero, & aliis apud Pirhing hic n. 48. contrarium sentiente D. Thomâ 3. p. in *supplem. a. 1. ad 3.* illis testantibus, tale Privilegium ab Innocentio III. concessum Abbatibus Cisterc. licet omnes negent de Presbyterio: illud tamen dicendum, ordinationem factam ab Abbate, contra formam facultatis ordinandi sibi concessam, probabilius, & illicitam, & invalidam esse, quando facultas illi comperit non ex vi suæ consecrationis, sed ex delegatione Papæ (quia pro tali casu, scilicet formæ non servatæ, potestas delegata non censetur) & Abbatem, seu Prælatum Regularem, habentem potestatem ordinandi, ordinantem alios, quam subditos Regulares, incurrere poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium absolutè, & sic ordinatos ab exercitio Ordinum, de quo *Trid. Sess. 6. de Reform. c. ult.*

2119. Questio est 3. an Episcopi, etiam lapsi in hæresim, excommunicati non tolerati, suspensi, & interdicti validè conferant Ordines? *Re.* Affirmativè; quod etiam procedit de Simoniacis, & depositis, seu degradatis, modo servant debitam materiam, & formam cum intentione; quia re-

tinent Characterem, & potestatem conferendi Ordines. Ordinati tamen ab illis scienter, ab usu Ordinum perpetuò sunt suspensi, donec dispententur, c. 1. *junct. gloss. V. Irritos, & c. 2. de Schismat. c. statumimus. 1. q. 1.*

2120. Questio est 4. an Episcopus possit licitè ordinare alios, quam suos subditos? *Re.* Negativè, nisi habeat licentiam sui Superioris; vel Episcopus aliunde concessam habeat facultatem, ordinandi, etiam alienos; c. 1. *cum seq. 9. q. 2. c. 2. h. t. in 6. Trid. Sess. 14. c. 2. & Sess. 23. c. 8. de Reform.* & hoc procedit 1. etiam de tonsura clericali, c. *fn. h. t. in 6. c. Primatus, dist. 71. junct. gloss. V. obrineat*; & sic tonsuratus, tonsuram inutiliter habet, ut scilicet sine proprii Episcopi dispensatione non possit ultra promoveri, vel ad Ordines, vel ad beneficia; ita Sanchez l. 3. *moral. c. 1. à n. 15.* Procedit 2. etiam, ut Archiepiscopus, extra casus in jure expressos, ordinare non possit subditos sui Suffraganei; quia non sunt de ipsius diocesi. Procedit 3. ut nec possit Episcopus sub tempore ratihabitionis de futuro proprii Episcopi; Pirhing. hic n. 27.

2121. Verum ab hac responsione excipe 1. nisi proprii Episcopi sint manifestè suspensi publicè ex causa, quod alienum subditum ordinaverint, sine sui proprii Episcopi licentia. Tunc enim Clericos eorum subditos ordinare potest Episcopus vicinus, c. 2. *Clericis quoque, h. t. in 6. cum gloss. V. manifesta*; V. n. 2800. Excipe 2. nisi subditus alienus sit alteri Episcopo, habenti propriam diocesan actum, & non merè titulariter familiaris per triennium; & ipsi ab ordinante, statim cum ordinatione ipsa, seclusâ omni fraude, conferatur beneficium; *Trid. Sess. 23. de Reform. c. 9.* in quaestione autem, an ejusmodi Episcopus, cum tali suo familiari, ceteroquin alieno, dispensare possit in interstitijs. *Re.* negativè, quia potestas dispensandi in his diversa est à potestate ordinandi; cum ergo *Trid.* loquatur *de hac*, & ejus dispositio restringat potestatem Ordinatio, adeoq; odiosa sit, non extenditur ad illam: excipe 3. nisi Episcopus, alieno subdito, actu contulerit beneficium sufficiens ad titulum; quia sic jam ratione beneficii in ejus diocesi fit illi subditus; sed de hoc V. dicenda à n. 2137.

2122. Questio est 5. an Religiosi exempti pos-

possint ab alio, quàm Ordinario loci, in quo situm est eorum Monasterium, in quo degunt, ordinari? R. negativè ex c. cum nullus. 4. h. t. in 6. Excipe, nisi accedat illius Ordinarij loci licentia, & proprij Superioris consensus; vel habeant Privilegium Papæ, ut cum licentia suorum Superiorum ordinari possint à quocunque Episcopo, Catholico, quale habet nostra Societas ex constitut. Gregor. XIII. incip. Pium, & utile; quæ responsio negativa procedit etiam de Novitijs apud tales Religiosos, ut communiter docent Commentatores in cit. c. nullus. Quod sic habet: Nullus Episcopus, vel quivis alius infanti (nisi forte religionem intraret) seu illiterato, sed nec absq. sui Superioris licentia, homini, diæcesis aliene, Clericalem præsumat conferre tonsuram: nec etiam conjugato, nisi volenti religionem intrare, aut ad sacros ordines promoveri: prout est Sacris Canonibus definitum. Qui vero contra fecerit (ut in eo, in quo peccaverit, puniatur) per unum annum, à collatione Clericalis tonsuræ duntaxat, noverit se suspensum.

ARTICULUS III.

Quis Episcopus censeatur proprius ad conferendos Ordines?

2123. CUM nemo jure communi, & ordinario ad ordines promoveri possit, nisi à proprio Episcopo, quaritur, quis in ordine ad hunc effectum censeatur proprius Episcopus? Resp. ex c. cum nullus h. t. in 6. quod ille, qui est Episcopus in loco, vel tui originis, vel tui domicilij, vel beneficij, quod obtines; hæc tamen intelligendo juxta dicendas limitationes ex constitutione Innocentij XI. incip. Speculatores domus Israël, publicatâ Romanæ 1694. 6. Novembr. qua plura declarantur, & præscribuntur pro tollendis abusibus, & fraudibus circa ordinationes alienorum subditorum.

§. I.

De Episcopo proprio ratione originis.

2124. ANtequam resolvamus quæstionem, qui Episcopus censeatur jure proprius

ad conferendos, & recipiendos Ordines ab illo, propter multa, ut constabit ex dicendis, præmittenda est constitutio Innocentij XI. incip. Speculatores domus Israël, publicatâ Romæ 6. Novembr. 1694. ab Archiepiscopo Salisburgensi acceptata, missaq. ad suos Suffraganeos, cujus synospin in seq. referemus.

In §. Speculatores, qui est primus, dicit, quod statim in principio sui Pontificatus concluderit secum, ad sacra ministeria non admittere, nisi eos, qui digni possint dominica Sacramenta tractare, ac edificare cunctos, fidei scientiâ, & operum disciplinâ; in §. sanè 2. quod ex hoc sibi ultro proposuerit, severiorem quandam rationem in concedendis indultis, suscipiendi sacros Ordines, extra tempora, & interstitijs ad id designatus, non servatis. In §. ceterum per ea 3. quod si tamen aliquando in prædictis, ex certis tantum, ac magis rationabilibus causis dispensaverit, per ejusmodi indulta, nullo modo velit intelligi relaxata Tridentini decrera, de non ordinandis ad patrimonij titulum, nisi illis, quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum assumendos judicaverint, nec etiam ad hujusmodi indulta exequenda, Episcopos ipsos arctare.

In §. omnes insuper 4. hortatur, & seridè monitos vult omnes, cujuscunque tandem gradus, ordinis, & dignitatis fuerint, quibus à Sede Apostolica, Ordines extra tempora conferendi, vel alijs, ut illos sic conferre valeant, indulgendi, potestas fieri consuevit, ut præscriptos sibi desuper, in suis quique facultatibus terminos, religiosè custodiant, nec eos ullatenus transgrediantur, ullius consuetudinis, vel exempli prætextu. In §. verum 5. habet, quod, quò magis curam in prædicta, intendit, hoc majori dolore, ex querelis ad se delatis, intelligat, aliquos, qui Clericales Ordines sibi à proprijs Episcopis negatos, seu quos ob impedimenta Canonica sibi ab illis negandos timent, sine literis dimissorijs, & commendatijs suorum Ordinariorum, imò sæpe inscijs, sæpe etiam invitis illis, sub minus legitimis, imò quæstivis titulis beneficij Ecclesiastici, originis, domicilij, familiaritatis, ac continue Episcoporum commensalitaris, in sacrarum legum fraudem, & contemptum, illegitimè suscipere Ordines. In §. Hinc est 6.

ex dictis querelis se motum ait, suorum Prædecessorum, ac Conciliaribus constitutionibus, ac ordinationibus *contra male promoventes, & promotos editis inherendo*, easque, quantum opus est, & præsentibus non adversantur, innovando, de Consilio Cardinalium Tridentini Interpretum (qui omnia sua decreta, declarationes, & responsa super præmissis in particularibus casibus edita, ad præsentium limites reducenda esse consueverunt) *motu proprio, ex certa scientia, matura deliberatione, & de Apostolica potestatis plenitudine, ad decernenda, & declaranda sequentia processisse.*

2126. Primò igitur in §. *Nulli Episcopo*, decernit, ac declarat, *nulli Episcopo, vel loci Ordinario*, licet sit Cardinalis, *licere alienam*, seu sibi ratione originis, vel domicilij legitime contracti (sumendo nomen originis, vel domicilij juxta intelligentiam infra ponendam num. 2124. & 2135.) *non subditum, ad Clericalem tonsuram promovere, sub pretextu ullius beneficii Ecclesiastici*, vel statim eidem, ac tonsuram insignitus fuerit, conferendi; vel ad quod à Patrono jam præsentatus sit, ac nominatus, licet primum de novo ea lege fundatum sit, ut quis immediate post Clericalem characterem in eo instituat.

2127. Secundò in §. *Præterea*, quòd Clericus, à proprio Episcopo ad Clericalem tonsuram, vel minores Ordines legitime promotus, non possit ab alieno Episcopo *ad ultiores Ordines promoveri titulo alicujus beneficii in illius diœcesi obtenti*, nisi ante illorum susceptionem, à proprio Episcopo, *tam originis, quàm domicilij obtineat testimoniales literas* super suis natalibus, ætate, moribus, & vita, easque Episcopo ordinanti, in actis illius curiæ conservandas, exhibuerit.

2128. Tertio in §. *licet verò*, decernit, ac declarat, neminem *titulo beneficii, in aliena diœcesi obtenti*, in ordine ad effectum *suscipiendi Ordines ab illo diœcesano*, ejus jurisdictioni *subditum censeri debere*, nisi illud beneficium sit ejus reditus, ut juxta synodalem taxam, vel ea deficiente, juxta morem originis, detractis oneribus, ad congruam vitæ sustentationem *per se sufficiat*, & *ab ordinando pacifice possideatur*, sublata quacunque facultate sup-

plendi per pingue patrimonium, quod fructibus illius beneficii deficeret.

Quartò in eodem §. Episcopum, in hoc prædicto casu, ordinantem, tam de prædictis testimonialibus literis, de quibus in §. *præterea*; quàm de redditibus illius beneficii expressum in consueta collatorum Ordinum attestatione *mentionem* facere teneri.

Quintò in §. *Ceterum subditus*, decernit, ac declarat, illum tantum *ad effectum suscipiendi Ordines*, censendum esse alicujus Episcopi *subditum ratione originis*, qui in talis Episcopi diœcesi naturaliter ortus, seu natus est, *non autem per accidens*, seu ex accidenti, occasione nimirum itineris, officij, legationis, mereaturæ, vel cujusvis alterius temporalis mortæ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco. Hinc, si quis in aliqua diœcesi solum ex accidenti natus, non haberet aliam originem naturalem, vult veram tantum, & naturalem Patris originem attendi. Si quis autem in eo loco, in quo, ex accidenti, natus est, tanto temporis spatio moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, etiam ab Ordinario illius loci *litteras testimoniales*, ut supra in §. *præterea*, obtinere, easque Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinū testimonio similiter recensendas, præsentare teneatur.

In §. *at si Pater*, decernit, ac declarat. 6. si Pater ejus, qui ex accidente in aliquo loco natus est, tam diu, ac eo animo in illo loco moratus est, ut ibi verè domicilium contraxerit, tunc non originem, sed domicilium Patris legitime contractum, pro ordinatione talis filij attendendum esse.

In §. *subditus autem*, decernit, ac declarat. 7. ad effectum recipiendi Ordines, illum tantum censeri debere *subditum domicilij*; 1. qui, licet alibi natus sit, tamen adeò stabiliter in aliquo loco illud constituit, ut vel per decennium in habitando; vel duplo majorem rerum suarum partem cum instructis ædibus in illum locum transferendo, ibique per aliquod considerabile tempus commorando, animum suum ibidem perpetuò commorando, demonstraverit, & jurejurando affirmet, se verè, ac realiter, talem animum habere, idque in utroque casu.

§ *si quis tamen*, ulterius decernit §. eum, qui à propriæ originis loco in ea ætate discessit, qua potuit alicui Canonico impedimento obnoxius fieri, propriæ etiam Ordinarij originis suæ testimoniales literas (ut dictum est in §. *præterea*) teneri afferre, & expressam de illis, in literis Ordinum collatorum, mentionem faciendam esse.

§. *ad hæc*, decernit 9. quòd nullus Episcopus familiarem suum, alienæ diocesis subditum, etiam ad primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat, nisi servatis testimonialibus literas (ut supra in §. *præterea*) à proprio originis, seu domicilij Prælato; 2. nisi talem familiarem per integrum, & completum triennium in suo actuali servitio, juxta præscriptum Concilij Tridentini *sess. 23. de reform. cap. 9.* secum retinuerit, ac *suis sumptibus* aluerit. 3. nisi beneficium, quod juxta modum in §. *licet verò*, præscriptum, ei sufficiat, cessante omni fraude *statim*, hoc est, *intra terminum unius mensis, à die factæ ordinationis reipsa illi conferatur*, facta simul expressa in collatorum Ordinum testimonio *mentionem familiaritatis, & literarum testimonialium ab ordinati Prælato originis, seu domicilij.*

§. *Porro*, decernit 10. quòd quilibet Episcopus, suos *ratione originis*, vel *domicilij* Clericos, quomodocunque *ab alienis Episcopis*, quavis autoritate, etiam cum suis commendatijs literis promotos, ad formam *Trid. sess. 14. de reform. cap. 3. examinare valeat* quoad scientiam; ac collatorum ipsis Ordinum testimonialibus literas, *gratis tamen*, recognoscere, ac diligenter perquirere, an hujus præsentis constitutionis forma sic adimpleta? assignato illis termino competente, ei magis bene viso, ad docendum de ejusmodi adimplemento. Si verò sic Ordinati, eo termino elapso, id minimè præstiterint, poterit eos à susceptorum Ordinum exercitio, quamdiu ei visum fuerit, suspendere, ac interdicerè, ne in Altari, aut in aliquo Ordine ministrent.

§. *Ita verò*, decernit 11. ut, si quid in præmissis, seu eorum aliquo, secus fiat, ordinans quidem *per annum*; ordinatus verò à *susceptorum executione*, quamdiu proprio Ordinatio videbitur expedire, eo

ipso suspensus sit, præter alias pœnas etiam gravioras, arbitrio Papæ infligendas.

Ad extremum auctoritatem, vel facultatem, hanc mentem suam, & constitutionem aliter judicandi, vel interpretandi, omnibus admitit, cujuscunque eminentiæ, & dignitatis, & secus factum irritum, ac inane decernit; non obstantibus quibuscunque sub qualicunque clausula; & statuit, ut hæc constitutio Romæ suis locis affixa, ac publicata, omnes & singulos, quos ea concernit, perinde arctet, ac afficiat, acsi unicuique eorum nominatim, & personaliter intimata fuisset.

Ex hoc colliges, illum Episcopum, in cujus diocesi quis natus est solum ex accidenti v. g. quia parentes ejus illuc venerunt solum causâ temporali motu, negotij, mercaturæ &c. ad effectum conferendi Ordines non censeri Episcopum originis; sic Innocent XI. in *Constitutione*; *Speculatores*, §. *ceterum subditus*; excipe, nisi Pater, in tali loco, ex accidente nati, tamdiu, ac eo animo in eo loco moratus sit, ut ibi verè domicilium contraxerit. Sic Innocentius *cit. in §. at si Pater supr. in nu. 2129.* Si autem quæras, an quis ordinari possit ab Episcopo *paterne originis*, in cujus scilicet diocesi ipsius Parens naturaliter ortus est? Resp. posse, saltem si de filij origine constare non potest per *L. assumptio*, §. *filius*, ff. *ad municipalem*; non tamen, ad hunc effectum, sufficit avi origo, & aliorum ascendentium; ne procedamus usque ad Adam, nec origo Matris *L. 3. C. de municip.* excipe 1. nisi desit, aut non constet de origine Patris; Barbof. *de offic. Episc. allegat. 4. d. nu. 15.* excipe 2. nisi sit filius naturalis, & illegitimus; tunc enim non Patris, sed Matris origo inspicitur *L. 1. §. 9. ff. ad municipem.* Filius tamen legitimus per Principem, vel adoptivus, sequitur originem Patris, *gloss. in cit. L. 1. V. Parentibus.*

Præter hæc not. 1. *expositos*, quorum parentes ignorantur, ordinari posse ab Episcopo loci, in quo nati, vel etiam expositi sunt, quia censentur utriusque loci cives, & originarij; sic Barbofa *cit. n. 17. §. 37.* Not. 2. eos, qui nullius diocesis sunt, ordinari posse ab Episcopo viciniore, quem semel elegerunt; vel, de ipsius licentia,

centia, ab alio; sic sacra Congregatio apud Piafecium *in praxip.* 1. c. a. 2. Not. 3. *vagos* ordinandos esse ab Episcopo suæ, vel paternæ originis, si etiam Pater tempore natiuitatis ipsorum vagus fuit; si non possit constare de Patris origine (ut si & hujus parens tunc, quando iste natus est, vagus fuit) illi Episcopo censentur vagi tunc subjecti, in cuius diocesi petunt Ordines; sic Tiberius *in instruct. ordinand.* c. 7. q. 47. Not. 4. Libertos, seu libertinos ordinari posse ab Episcopo, vel suæ propriæ originis, vel ab Episcopo originis suorum Patronorum, cum sequantur eorum, & non Patris originem, ut dicitur *cit. L. assumptio*, & tradit Barbofa *cit. nu.* 18. & 36.

§. II.

De proprio Episcopo ratione domicilij.

2135. **E**piscopus proprius *ratione domicilij* est, in cuius diocesi aliquis sedem fixit animo ibi perpetuò manendi, nisi quid avocet, licet alibi natus sit, *L. Civiles Cod. de incolis, junct. gloss. v. Laicum.* Nam domicilium animò, & factò contrahitur, *L. domicilium, ff. ad municip. junct. gloss. v. factò.* Cæterum juxta novissimam constitutionem Innocentij XI. *§. subditus autem*, de qua à *num.* 2124. ad effectum recipiendi Ordines, ille tantum censi debet *subditus domicilij*, qui, licet alibi natus sit, tamen adeò stabiliter in aliquo loco illud constituit, ut vel per decennium in eo habitando; vel duplo majorem rerum suarum partem cum instructis ædibus, in illum locum transfereudo, ibique per aliquod considerabile tempus commorando, animum suum ibidem perpetuò commorandi demonstraverit, & jurejurando affirmet, se verè ac realiter, talem animum habere, idque in utroque casu; ut exposuimus *supr. num.* 2126.

2136. Not. autem 1. quòd filius, manens cum Patre, sortiatur domicilium Patris, si alibi domicilium, seu sedem non figat; cum etiam filiusfamilias *pubes*, domicilium sibi constituere possit, *L. Placet, 3. cum seq. ff. ad municip.* Not. 2. quòd filius non amittat domicilium Patris, discedendo ab isto, si retineat animum,

ad illum redeundi. Navarr. *lib. 1. Consil. 3. h. t.* Not. 3. non amitti domicilium *originis* per hoc, quòd quis alibi constituat sibi domicilium *habitationis*. Illud enim est immutabile, ac renuntiari non potest, *L. assumptio, cit. ff. ad municip. & L. origine, C. de municip.* Not. 4. ut quis mutet domicilium, non requiri licentiam Episcopi. *c. fin. de Paroch. & Abbas ibid. nu. 1.*

§. III.

De proprio Episcopo ratione Beneficij.

Episcopus proprius *ratione beneficij*, 2137. in ordine ad effectum ordinationis activæ, & passivæ, dicitur, in cuius diocesi aliquis obtinet beneficium Ecclesiasticum, esto alibi habeat originem, vel domicilium. Dixi 1. beneficium *Ecclesiasticum*; quo nomine non venit prebenda temporalis, nec Capellania non collativa, etiam perpetua, nec etiam beneficium alicui concessum in commendam temporalem; sic Barbofa *cit. alleg.* 4. *num.* 50. nec beneficium *exemptum* ab omni jurisdictione Episcopi; quia sic ratione illius Episcopo subijci non potest; nec etiam pensio Ecclesiastica, *gloss. in c. 3. h. t. in 6. v. Ecclesiasticum*; excipe, nisi talis pensio constituta alicui sit in titulum beneficij, Vicariæ perpetuæ, vel commendæ; sic Layman *lib. tr. 2. cap. 18.* excipe 2. nisi beneficium sit ei concessum in commendam perpetuam, & utilitatem Commendatarij; sic Barbol. *loc. cit.*

Venit autem hoc loco nomine *beneficij*, 2138. vi cuius quis ad Ordines *subijcitur* Episcopo, etiam beneficium *manuale*; Rebuff. *in praxi benefic. tit. de Clericis, & à quibus, nu. 2.* secundo beneficium non exigens residentiam; Pirhing *hic num.* 34. tertio, esto illius beneficij præsentatio, institutio, vel collatio ad alium pertineat, modò quoad jura Episcopalia Episcopo, ejus titulo aliquem ordinanti, subjectum sit. Sic Barbofa *cit. nu. 52.* Addunt aliqui, etiamsi beneficium illud sit tenue, nec sufficiens ad congruam vitæ sustentationem; sic Barbofa *cit. nu. 44.* sed hoc non amplius procedit propter *cit. constitut.* Innocentij XI. ubi *§. licet verò*, decernit,

nit, ac declarat contrarium, ut habetur supra nu. 1228. intellige, ut quis ad ejus titulum ordinetur; ut quis Episcopo subiciatur, per ordinem ad recipiendos ordines ab illo, dicatur *subjectus*, ex mente illorum DD. prius, sufficiebat.

Dixi 2. in cujus diœcesi beneficium obtinet. Nam non sufficit, nondum obtentum, ut constat ex cit. *Constit.* Innocentij XI. §. nulli Episcopo *supr.* nu. 2126. An autem sufficiat sola collatio, sive titulus justus sit sine possessione; vel sola possessio, sine titulo justo? contravertunt aliqui hic apud Pirhing nu. 33. sed hæc controversia dirimitur, ex dictis nu. 2128. ubi ex *licet verò*, constat, requiri pacificam beneficij possessionem.

Præter hoc not. ex dict. *supra* n. 2127. in §. Præterea Constitutionis Innocentianæ, Clericum à proprio Episcopo ad Clericalem tonsuram, vel minores ordines legitime promotum, non posse ab alieno Episcopo, ad superiores ordines, promoveri titulo alicujus beneficij, in illius diœcesi obtenti, nisi ante illorum susceptionem, à proprio Episcopo tam originis, quam domicilij, obtineat *testimoniales literas* super suis natalibus, ætate, moribus, & vitâ, easque Episcopo ordinanti, in actis illius Curæ conservandas, exhibuerit.

Not. 2. neminem, titulo beneficij in aliena diœcesi obtenti, in ordine ad effectum suscipiendi ordines ab illo Diœcesano, ejus jurisdictioni *subditum* censeri debere, nisi illud beneficium sit ejus redditus, ut juxta synodalem taxam; vel, ea deficiente, juxta morem originis, deductis oneribus, ad congruam vitæ sustentationem *per se* sufficiat, & ab ordinando *pacifice possideatur*, sublata, quacunque facultate supplendi per pingue patrimonium, quod fructibus illius beneficij deficeret. ex nu. 2128.

Præter hæc quæres 1. an ordinatus ab uno Episcopo, possit ad altiorem ordinem promoveri *ab alio*, sine licentia prioris? Resp. ordinatum ab uno Episcopo *proprio ratione originis*, posse ordinari ulterius *ab alio*, pariter *proprio* ex eodem, vel alio, titulo v. g. *domicilij, beneficij*, etiam sine licentia prioris, c. nullus h. tit. in 6. extra duos casus; 1. si Clericus in sacris constitutus, à priori ordinatus sit ad certæ Ecclesiæ servitium, vel beneficium,

Tom. I.

exigens residentiam. Trid. *sess.* 23. c. 16. de reform. 2. si sit ordinatus ab ipso Papa, c. cum in distribuendis 12. h. t. ubi Innocentius III. Ordinato à Papa, clementer indulget, ut ordinari ulterius possit ab Episcopo Bononiensi, ubi rubrica c. habet, ordinatus à Papa, sine licentia Papæ, ad superiores ordines non promovetur.

Quæres 2. an Clerici Latini possint ordinari ab Episcopis Græcis, & e contra? Resp. posse Latinum à Græco, ritu Latino; & Græcum à Latino ritu Græco; non autem secus, c. cum secundum, 9. h. t. ibi: cum secundum regulas Ecclesiasticas; quia verò (sicut dicitur) in partibus Calabriae, Latini à Græcis, & Græci à Latinis, secundum alterutrum institutionis observantiam, ordinantur; *nolumus de cetero, commixtiones, & consuetudines rituum in ordinibus* observari. Not. autem, Græcos Episcopos non servare ritum Latinum, non ordinandi extra quatuor tempora; glossa hic, in casu dict. c. Unde nullus Latinus Episcopus, suo subdito Latino, dare potest licentiam, recipiendi ordines à Græco, illo ritu; Azor p. 2. l. 3. c. 48. q. 14.

Quæres 3. an Episcopi Italiae possint ordinare ultra montanos? Resp. quod non possint sine licentia Papæ, vel literis dimissorijs proprii Ordinarij, c. 1. h. t. in 6. ubi nota, quod hæc constitutio loquatur de Clerico *ultramontano*, non ordinando, & de Ordinario originis; sed Urbanus VIII. in *Constitut.* editâ. 11. Dec. 1624. incip. *secretis*, apud Barbof. in cit. c. 1. motu proprio, eandem prohibitionem innovat, & extendit etiam ad primam tonsuram, & minores ordines; & loquitur indefinite de dimissorijs Ordinariorum.

Quæres 4. quid observandum Episcopo, in ordinatione suorum *familiarium*? circa præsentem quæstionem constat ex dictis supra in §. ad hæc, n. 2130. nimirum à nullo Episcopo, familiarem suum alienæ diœcesis subditum, promoveri posse, vel ordinari etiam ad primam tonsuram, nisi ordinandus exhibeat *testimoniales literas* à proprio originis, vel domicilij Prælato, juxta dicta nu. citato; 2. nisi talem familiarem per integrum, & completum triennium, in suo actuali servitio (juxta Trid. *sess.* 23. de reform. c. 9.) secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; ac demum,

P p p

nisi

nisi Beneficium, quod ei juxta modum in *q. licet* verò supra n. 2128. sufficiat, & cessante omni fraude, *statim* (hoc est intra terminum unius mensis, à die factæ ordinationis) re ipsa conferatur, factâ simul *expressâ*, in collatorum ordinum testimonio, *mentionem familiaritatis, & literarum testimonialium ab Ordinati Pralato originis, seu domicilij.*

ARTICULUS IV.

De Literis Dimissorijs.

2144. SUPPON. quòd nullus ordinari possit ab alio Episcopo, sine licentia proprii Episcopi, c. *Episcopum* 9. q. 2. quod desumptum est ex CC. Antiocheno c. 12. ubi dicitur: *Episcopum non debere in alienam irruere civitatem, quæ probatur non esse subiecta; neque in Regionem, quæ ad ejus curam minimè noscitur pertinere, ad aliquid ordinandum; neque Presbyteros, aut Diaconos constituere, ad alios Episcopos pertinentes, nisi fortè cum voluntate, & testimonio propriæ regionis Episcopi: item c. nullus 4. h. t. in 6. ibi: Nullus Episcopus, vel quivis alius, infanti (nisi fortè Religionem intraret) seu illiterato, sed nec absque sui Superioris licentia, homini diæcesis aliene, Clericalem præsumat conferre tonsuram: nec etiam conjugato, nisi volenti Religionem intrare, aut ad Sacros Ordines promoveri: prout est Sacris Canonibus definitum.* Qui verò contra fecerit (ut in eo, in quo peccaverit, puniatur) per unum annum à collatione Clericalis tonsuræ duntaxat noverit se suspensum. Hæc autem licentia communiter scriptò dari solet (quamvis, *ut in scripto detur*, absolutè non requiratur, juxta Trid. Sess. 14. c. 7. de Reform.) excepto casu, qui ponitur in c. 1. h. t. in 6. per *litteras autem dimissorias*, ea licentia, *scripto data*, intelligitur. Dimissoriæ istæ vocantur etiam *Reverendæ*, à Persona Reverendissima dantis, Trid. Sess. 7. c. 10. de Reform. interdum etiam *Testimoniales*, seu *commendatitiæ*; Trid. Sess. 14. c. 2. & 3. eodem, & expressius c. 1. dist. 73. quia per tales litteras commendantur mores, probitas, & scientia ordinandi; vel de his, quæ ad Ordines pertinent, testimonium datur.

2145. Not. autem 1. quòd ex novissima Con-

stitut. Innoc. XI. §. *præterea*, sub gravi pœna constitutum sit, ut Clericus ad primam tonsuram, vel minores Ordines legitimè promotus, non promoveatur ab alio Episcopo ad ultiores Ordines, *titulo beneficij, in ipsius Diæcesi obtenti*, nisi ante illorum susceptionem exhibeat à proprio Episcopo tam originis, quàm domicilij, testimoniales litteras, super suis natalibus, ætate, moribus, & vita; de quo V. num. 2127. Not. 2. quòd easdem Testimoniales litteras ordinanti præsentandas exigit Innocent. in *q. Cæterum subditus*, si ordinandus, ex accidenti natus in aliquo loco, tanto temporis spatio ibidem moram traxit, ut potuerit ibidem aliquo Canonico impedimento irretiri, ut constat ex *q. si quis* n. 2130. intellige, testimoniales dandas ab Ordinario loci, talis accidentalis Nativitatis: idem est, si quis à propriæ originis loco, in ea ætate discessit, qua impedimento Canonico potuit obnoxius fieri, ut habetur in *eadem Constit. q. si quis tamem* n. 2130.

2146. Quæstio autem est 1. quinam dare possint litteras dimissorias, & quibus? & hanc potestatem competere summo Pontifici, respectu omnium Christianorum. c. 1. h. t. in 6. secundò, Legatis à latere; sic Tiberius cit. c. 7. q. 51. intellige, *subditis sue legationis*: tertio, Episcopo proprio, vel ratione originis, vel ratione domicilij, vel ratione Beneficij secundum priùs dicta, c. *cùm nullus* h. t. in 6. ibi: *cùm nullus Clericum, paræcia aliene, præter Superioris ipsius licentiam, debeat ordinare*: Superior intelligitur in eo casu Episcopus, de cujus diæcesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus diæcesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem: quartò Prælatis Episcopò inferioribus, sive Regularibus, sive sæcularibus, non tamen alijs, nisi suis subditis; sed non ad alium Episcopum, quam in cujus diæcesi sunt, etiamsi ceteroquin ab eo sint exempti; nisi habeant ex consuetudine legitima, vel privilegio, dimittendi suos ad quemcunque Episcopum Catholicum, c. *cùm nullus* h. t. in 6. *q. Inferiores, junct. gloss. V. Prælatis, & V. Episcopo*; Trid. Sess. 23. c. 10. de Reform. Excipe Prælatos inferiores, exemptos, habentes in aliquo loco *Jurisdictionem ordinariam*,

riam, quasi Episcopalem, privativè ad Episcopum; sic Pirhing hìc n. 56. §. quòd sitamen.

1147. Quæstio est 2. an Archiepiscopus dimissorias dare possit subditis suorum Suffraganeorum? R. negativè ex c. cum nullus h. t. in 6. ibi: Cum nullus Clericum parocciæ alienæ, præter Superioris ipsius licentiam, debeat ordinare; Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus diocesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus diocesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem.

1148. Quæstio est 3. an dimissorias dare possit Episcopi Officialis, seu Generalis Vicarius? R. non posse, nisi ad hoc habeat specialem facultatem ab Episcopo suo, vel hic sit in remotis partibus, ut ait textus in cit. c. cum nullus 3. junct. gloss. V. Extendat; vel succedat prioribus Vicariis, dimissorias concedere solitis, & bona fide putet, id etiam sibi competere. Pirhing hìc n. 57. in fine. Textus cit. c. §. Inferiores, sic habet: inferiores quoz. Prælati, Religiosi, vel alij, nisi eis quòd suos Clericos, aut subditos, possint, à quo voluerint, Episcopo, facere ordinari, à Sede Apost. specialiter sit indultum: vel Officiales Episcopi (cum ad hoc se ipsius Officium non extendat) hujusmodi nequeunt licentiam impartiri. Episcopo autem in remotis agente, ipsius in Spiritualibus Vicarius Generalis; vel, Sede vacante Capitulum, seu is, ad quem tunc temporis administratio Spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.

Dicitur autem Episcopus in remotis esse, si sit extra provinciam, seu diocesim ultra duas, aut unam diœtam. Deinde dimissorias dare non potest, Archidiaconus, etiam in absentia Episcopi, licet sit ejus Vicarius, ipso jure, si non habeat vel speciale mandatum, vel tale jus ex legitima consuetudine, gloss. in c. significasti 6. de Offic. Archidiacon. V. Literas: sic enim in cit. c. 8. loquitur Innocentius III. interdicat Archidiacono tuo, ne sine conscientia tua, & auctoritate, literas suas promovendis concedat; & eis, etiam districtè, prohibeas, ne ad Ordines audeant convolare. Qui, si contra prohibitionem tuam venire præ-

Tom. I.

sumpserint, executionem eis Ordinum susceptorum totaliter interdicat.

2149. Quæstio est 4. quid in hoc possit Capitulum Sede vacante? R. quòd Capitulum Cathedrale, Episcopali Sede vacante, vel Vicarius à Capitulo deputatus ad Spiritualem administrationem, olim dare poterat dimissorias cit. c. cum nullus, §. Episcopo: nunc autem, jure novo, Trid. sess. 7. c. 10. de Reform. non intra annum, à die vacantis Ecclesiæ, ne quidem ad primam tonsuram, exceptis casibus, de quibus infra num. seq. quòd verum est, licet habeat proprium territorium, etiam exemptum, & jurisdictionem ordinariam; sic declaratio Cardinalium, & Quaranta V. Capitulum, Sede vacante.

2150. Casus autem excepti sunt; si quis esset archatus ratione Beneficii recepti, vel recipiendi, exigentis Ordines in Beneficiato; ut, si cui collatum esset Beneficium curatum; vel quis esset præsentatus, aut electus ad Beneficium vacans; non autem aliter; sic Garcia de Benefic. c. 7. à n. 98. post annum autem lapsum, à die Ecclesiæ vacantis, liberè dare potest dimissorias suis, etiam non archatis; & testimoniales de vita, & moribus, etiam intra illum annum, quia in hoc jus antiquum per Tridentinum non est immutatum: idem potest Vicarius Capituli, Sede vacante datus. Potest etiam alteri Episcopo Capitulum Sede vacante dare licentiam, in Ecclesia vacante exercendi Pontificalia, etiam ordinandi; sed habentes licentiam Ordines recipiendi ab alieno.

ARTICULUS V.

De Titulo, qui requiritur ad recipiendos Ordines.

2151. Nullum ad Sacros Ordines promoveri debere, nisi exhibeat, sibi de sufficienti titulo, seu perpetua vitæ sustentatione provisum esse, constat ex c. 1. & 2. dist. 70. c. 2. 4. 16. & 23. de præbend. & c. si Episcopus. 37. eod. in 6. quòd sic habet: si Episcopus, cui nullis personis expressis in genere commisisti, ut vice tua Ordines in tua Diocesi celebraret, ad Sacros Ordines promoverit quempiam titulum non habentem: ei (cum in culpa fuerit, taliter ordinando eundem) tenebitur vitæ necessa-

P p p 2

cessa-

cessaria ministrare, donec sibi per eum, vel alium, de competenti Beneficio sit provisum. Si verò certas commisisti eidem ordinare personas, tu (qui prævidere hoc casu, *an haberent titulum?* debuisti) taliter ordinato ad prædicta, donec per te Beneficiatus fuerit, obligatus existis. Eis autem, quibus à Dicecesanis datur licentia, ut possint, à quo voluerint, Episcopo ad omnes Sacros Ordines promoveri: *non qui ordinant, sed qui tribuunt licentiam (cùm eam dare non debeant titulum non habenti)* ad præmissa, *si titulum non habeant*, obligantur; Trid. Sess. 21. c. 1. de Reform. cujus hic tenor est:

2152. Cùm non deceat, eos, qui Divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis de decore mendicare, aut fordidum aliquem quæstum exercere: compertumque sit, complures plerisque in locis ad Sacros Ordines, nullo ferè delectu, admitti, qui variis artibus, ac fallacijs confingunt, *se Beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere*: statuit Sancta Synodus, *ne quis deinceps Clericus secularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientiâ, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere.* Id verò Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quòd ad illius Beneficij titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quòd aliunde vivere commodè possit: *& aliter facta resignatio nulla sit.* Patrimonium verò, vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, *nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem, verè ab eis obtineri, taliâque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint*: atque illa deinceps, *sine licentia Episcopi*, alienari, aut extingui, vel remitti, nullatenus possint; donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint: antiquorum Canonum pœnas super his innovando; quibus juribus suppositis, pro fundamento dicendorum in seqq. nota, quòd Titulus ille, communiter vocari solet *titulus mensæ*; hic porro titulus triplex sit, Beneficij Ecclesiastici, patrimonij, & Religiosæ paupertatis.

§. I.

De Titulo Beneficij.

PRIMUM est, ut quis ordinari possit ad ²¹⁵³ *titulum* Beneficij Ecclesiastici, requiri, quòd sit Beneficium certum, ac perpetuum, patet ex *cit. c. si Episcopus*. 2. quòd sufficiant fructus ejus ad decentem Clerici sustentationem, ut loquitur Trid. *cit. 3.* quòd sit actu collatum, & pacificè à Clerico possessum; sic communis.

Circa hæc not. 1. Beneficium aliter considerari, ut quis ejus titulo *fiat subditus Episcopi*; aliter, ut *ad ejus titulum quis ordinetur*. Ad illud plura requiri constat à n. 2137. & seqq. & sufficere etiam Beneficium manuale ex n. 2138. secus, ad istud. Nam Beneficium, ad cujus titulum quis ordinatur, debet esse perpetuum *ex priorinum*.

Not. 2. ut quis *ad titulum* Beneficij ordinetur, non sufficere titulum Beneficij, stipendij ab Episcopo assignandi super fructibus suæ mensæ Episcopalis; cùm morte concedentis extingatur, nec in præjudicium Successoris gravari poterit: secus est, de titulo Capellanæ, vel Coadjutorix, si ex concessionem Papæ sit irrevocabilis; quia sic ei provisum est *ad dies vitæ*; quod etiam procedit de pensione perpetua, sed ad sustentationem sufficiente.

Not. 3. hanc sufficientiam Beneficij, ad ²¹⁵⁶ congruam sustentationem, non æqualiter ab omnibus exponi. Pirhing hic n. 70. dicit, sufficere, *si cum patrimonio certo, ac stabili præbeat sufficientem alimoniam Clerico*; imò aliqui dicunt, sufficere, si Beneficij fructus tanti sint, ne Clericus, ad illud ordinatus, mendicatò vivere debeat; sic Parisius l. 5. c. 6. q. 155. Verùm Concilium Trid. *cit.* requirit sufficientiam *ad commodam*, hoc est, *honestam* (quæ scilicet qualitatem Personæ talis Clerici deceat) *sustentationem*: in praxi autem, ut vult Pirhing *cit. n. 71.* sufficere, quòd Beneficium sit actu collatum, & sine conditione acquisitum, etiam possessione nondum accepta, sed mox accipienda; quod etiam docet Rodriquez p. 2. c. 5. q. 10. Layman in *cit. c. Episcopus, de præbend.* sed quoad hoc, propter novam constitutionem Innocentij XI. videatur *§. licet*, in n. 2128. ubi longè aliud constitutum est.

Ex

2157. Ex dictis colliges 1. non posse aliquem ordinari ad titulum Beneficij de futuro obtinendi; quia Concilium requirit Beneficium actu collatum. Colliges 2. posse quem ordinari in Subdiaconum, vel Diaconum, ad titulum Beneficij actu collati, esto fructus ei non currant, nisi adepto Presbyterio. Colliges 3. posse quem ordinari ad servitium perpetuum alicujus Ecclesie vel Altaris, ad quod cum consensu Episcopi, vel alterius Prælati deputatus est, ut inde ali debeat, donec aliam sufficientem sustentationem habeat; sic Zetola in praxi Episcoporum V. dimissoria, in Respons. ad 5. & colligitur ex Trid. sess. 23. de Reform. c. 16. ubi dicitur, quod nullus debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, Sancta synodus, vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhaerendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesie, aut pio loco, pro cuius necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, ne incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei factorum exercitium interdicitur; idem est de redditibus alicujus Seminarij ad servandum in Beneficio illi unito, juxta declarat. S. Congreg. apud Garciam p. 2. de Benefic. c. 5. n. 104. Citatum porro decretum Tridentini, de non ordinandis, nisi qui iudicio sui Episcopi utiles, ac necessarii Ecclesie, vel loco, pro cuius utilitate, vel necessitate assumuntur, adscribantur, ubi suis funguntur muneribus, ne incertis vagentur sedibus, executioni datum, maximæ utilitatis foret, & necessitatis; ne tot, in Sacris Ordinati, exigua statûs Clericalis commendatione, vagi, ac otiosi Presbyteri darentur.

§. II.

De Titulo patrimonij.

2158. CUM in c. Episcopus, de præbend. dicatur, Clericum in Sacris ordinari non debere, sine titulo, nimirum beneficij, nisi bona patrimonialia habeat; deducitur, hæc, si ad commodam vitæ sustentationem, sufficientem, æquiperari titulo, quoad effectum Sacrorum Ordinum eo titulo recipiendorum; non tamen, nisi Episcopus

judicaverit, illos esse assumendos pro necessitate, vel utilitate suarum Ecclesiarum, ut dicitur in Trid. sess. 21. de reform. c. 2. de quo supra n. 2157.

Notand. autem, hanc utilitatem sufficienter haberi, si, ordinandi ad patrimonium, sint viri docti, & probatæ vitæ; sic Garcia cit. nu. 74. Not. 2. notinè patrimonij hic venire bona propria Clerici, sive illa habeat à parentibus, sive suo labore, sive donatione, aut quovis alio iusto titulo.

Not. 3. ut bona patrimonialia censentur sufficientia ad decentem vitæ sustentationem, requiri. 1. quod sint bona certa; nam de incertis ferri nequit iudicium sufficientiæ; 2. ut sint immobilia, vel, si mobilia sint, in immobilia convertantur; mobilia enim rarò sunt perpetua; sic Azor p. 2. l. 3. c. 4. q. 7. 3. ut sint libera, hoc est, non obligata, ære alieno, vel censu annuo, dote &c. alias enim facilè à Creditoribus auferuntur; sic Ugolinus de offic. Episcopi c. 26. §. 11. nu. 3. 4. ut sint frugifera, dando scilicet ordinato annuum redditum. Nam idem est, rem non habere, & habere inutilem, ut dicitur L. quoties 6. ff. qui satisfacere cog.

Not. 4. ordinatum ad titulum patrimonij, non posse hoc alienare, sine consensu Episcopi, nisi prius ipsi Clerico, quoad decentem sustentationem stabilem, aliunde sit provisum; sic Trid. sess. 21. cap. 2. quod retulimus supra: alienatio autem, secus facta, est ipso jure irrita; sic Pirhing cit. nu. 72. §. porro. Advertendum autem, quamvis ordinatus ad titulum patrimonij, postquam aliunde habet, quo perpetuò decenter vivat, non possit illi sine consensu Episcopi renunciare juxta Barbosa. in c. Tuis questionibus, 23. de præbend. nu. 9. contrarium tamen etiam probabile esse; quia tunc cessat finis dispositionis in contrarium in Trid. quod solum requirit consensum Episcopi, nisi aliunde illi provisum sit; sic Filliucius tom. 3. ff. 41. c. 1. num. 5. Si autem titulus, ad quem quis ordinatus fuit, perit casumate, vel aluvione, Episcopus, promotus tenetur providere, nisi aliunde juvari possit; sic Barbosa. in c. Tuis questionibus, 23. de præbend. nu. 4. Clericus autem ordinatus ad suum patrimonium, in hoc gaudet privilegio immunitatis Ecclesiasticæ, ut ex jis non

teneretur solvere Gabellas; ita Sanchez in *moralib. tom. 2. lib. 7. c. 1. dub. 36.*

2161. Not. 5. ad titulum patrimonij etiam revocari *titulum* pensionis, seu decentis sustentationis, à quocunque etiam Laico, alicui resignata, donec ordinato, aliunde sit provifum de sustentatione commoda *ad dies vitæ*; sic Trid. *loco cit.* ad hoc autem à Tridentino requiritur, quòd ordinatus illam pensionem verè obtineat; ex usu tamen, & praxi sufficit cautio hypothecaria, per quam assignetur res certa, eaque libera, & frugifera, ut ordinato competat jus reale percipiendi suam congruam sustentationem. Hæc porro cautio præstanda exigi debet à privatis personis ordinando dantibus titulum mensæ. Si autem sint Principes, Magnates, sufficit simplex cautio instrumentaria; qua se obligent, ad sustentandum talem Clericum ad dies vitæ ejus; vel dum super hoc aliunde illi provifum sit; vel, si contingat eum indigere.

¶ III.

De Titulo Religiofe paupertatis, seu professionis in Religione approbata.

2162. Communis doctrina est, Religiosos, à validè professos in Religione approbata, sine alio titulo posse ordinari ad titulum *sua professionis Religiofe*; hoc enim intelligitur per titulum paupertatis. Nam in illis professio subit titulum beneficij, c. 1. *dist. 70.* & Religio tenetur alere suum Religiosum: Religiosi autem non professi, sine titulo (nimirum alio, quàm *professionis*) non sunt promovendi ad Sacros Ordines, sicut alij Clerici non Regulares, ex *Constit. Pij V. incip. Romanus Pontifex*; quod etiam procedit de professis invalidè.

Verùm, hoc postremum habet duas exceptiones. Prima est, quòd, non obstante illa *Constitut. Pij V. Religiosi Societatis IESU*, hoc ipso, quòd post biennium Novitiatus emiserint tria vota Religionis, etsi simplicia, etiam ante solennem professionem, sine alio titulo promoveri possint ad omnes Sacros Ordines ex *Concess. Gregorij XIII. facta ult. Febr. 1573.* quam sua constitutione confirmavit Gregorius XIV. 30. Aug. 1591. altera

est, quòd etiam, sine alio titulo, similiter ordinari possint Alumni Pontificij, qui in Seminarijs aluntur, studiorum causâ, per Bullam Greg. XIII. datam 25. Septembr. 1584. V. Barbosa in *Trid. sess. 21. de refor. c. 2. nu. 6.* ubi sic ait: *Gregorius XIII. in const. sua incip. Ascendente, sub dat. Kal. Junij 1584. concessit Societati IESU, quòd, qui tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientie, in Societate, emiserunt, de licentia Præpositi Generalis, possint promoveri ad Sacros Ordines, absque titulo, etiam ante solennem professionem emissam, si modo sint atate, moribus, & doctrina idonei, non obstante dicta constitutione Pij V. qua hoc decretum ad Religiosos non professos extendit, fortasse quia cognoscebat, illo prædicta Societatis Patres ligari, eò quòd, etsi veri dicerentur Religiosi, tantum simplicia vota emittebant.*

Si dicas: ergo si qui Regulares, solo titulo suæ professionis, vel votorum Religiosorum, in Sacerdotes ordinati, justis de causis Religione dimittantur, vel ejiciantur, Religio tenebitur illis, si pauperes sint, præstare alimenta: affirmativam tenet Barbosa *loc. citato*, sic loquens: *unde si contingat è Societate, quem ejici in sacris jam constitutum, & carentem beneficiò, tunc Prælati ejusdem Societatis de honesto victu saltem de redditu 40. scutorum annuorum, illi providere debet, donec sufficiens beneficium fuerit affectus;* ita Marchin. *dict. c. 5. n. 5. ego ipse d. p. 2. alleg. 19. n. 17.* sed fallitur; nam, etsi verum sit, quosdam, sic dimissos sæpius id urfisse apud Congreg. Cardin. Concilij Trid. interpretum; semper tamen ab eadem Congregatione responsum est negativè; & facta Sanctissimo relatione hujus responfionis, sua Sanctitas responsum approbavit; ut recentissimè factum ab Innocent. XII. 4. Jun. 1696. in causa Panormitana, *prætensa congrua.* Quare omnino negandum est, extare ullum decretum Congregationis Cardinalium, statuens, *annua 40. scuta aurea, esse à Societate pendenda Sacerdotibus pauperibus, ab ea dimissis;* & quod reperitur in dubijs Nicolai Ormaneti, quæ ad suimet instructionem Anno 1567. Francisco Cardinali Alciato proposuit, inter quæ etiam illud fuit, *an dimissis ea 40. scuta pendenda forent?* quod ipse putavit debere, esse solùm in calce eorum dubiorum anno-

annotatum privato illius sensu, non Congregationis; nec ullibi etiam reperiri, post diligentissimam inquisitionem, declarationem Sixti V. ex qua loquitur Molfesius, & Barbosa, de dandis annuatim 40. scuris à Societate dimissis; ideòque declarationem illam, esse veritate alienā, & merum commentum; sic Typo expressum est Romæ in Typographia Reverendæ Cameræ Apost. Superiorum facultate anno 1696. id quod ego ipse habui, & legi.

ARTICULUS VI.

De loco Ordinationis.

2164. **Q**uāntum pertinet ad quæstionem, ubi, seu quo loco fieri possit ordinatione? responsio communis est, primam tonsuram, & minores Ordines conferri posse quovis loco decente v. g. in domo Episcopali, c. quando, & ubi dist. 75. ibi: quando & ubi libitum fuerit; & licet hoc c. numeretur inter paleas; idem tamen dicitur in ordine Romano, c. de gradibus Ecclesie. Majores autem Ordines, spectata consuetudine, conferri posse in qualibet Ecclesia intra diocesin ordinantis; sic Henriquez in summa lib. 10. c. 11. nu. 3. non tamen extra Ecclesiam, nec extra propriam diocesin, nisi cum licentia illius diocesani; quo casu, ordinans extra suam diocesin, poterit ordinare suos; item subditos Episcopi, in cujus diocesi de ipsius licentia ordinat. Trid. sess. 6. c. 5. de reform. ibi: nulli Episcopo liceat, cujusvis privilegij prætextu, Pontificalia in alterius diocesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personis eisdem Ordinarij subjectis tantum; sic secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati, ab executione Ordinum, sint ipso jure suspensi; excipe, nisi alij non subditi, habeant dimissorias generales, ut colligitur ex eod. Trid. c. 11. ibi: facultates de promovendo à quocunque, non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam à proprijs Episcopis ordinari non possint, literis exprimentam: & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua diocesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligente prævio examine.

2165. Sed quæres 1. an Episcopus A. ordi-

nans in aliena Diocesi Episcopi B. possit de hujus licentia ordinare alienum, legitime dimissum, non generaliter, sed particulariter, ut ordinari possit ab Episcopo B? Resp. mihi probabilius esse, quod non. Nam delegatus ad causam particularem non potest subdelegare, ut constat ex gloss. in c. cum causam 62. de appellat. v. delegatus (ibi: cum non nisi delegatus à Principe causam alij valeat delegare) Episcopus autem, ad quem alienus subditus specialiter dimittitur ad Ordines ab eo recipientes, est delegatus ad unam tantum causam.

1266. Quæres 2. an Episcopus, in aliena diocesi, possit suo subdito conferre primam tonsuram, sine licentia Episcopi alieni? affirmativam sequitur Azor p. 2. lib. 3. c. 48. q. 5. quia non est exercitium Pontificalium, quod prohibetur Episcopis in aliena diocesi, sine licentia Ordinarij in tali diocesi, Trid. sess. 14. c. 2. de reform. ibi: Nemo Episcoporum, qui Titulares vocantur, etiam si in loco nullius diocesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio, cujusvis ordinis, resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegij sibi de promovendo quoscunque, ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis, continuæ commensalitatæ suæ, absque sui proprij Prælati expresso consensu, aut literis dimissorijs, ad aliquos sacros, aut minores Ordines, vel primam tonsuram promovere, seu ordinare valeat: contra faciens, ab exercitio Pontificalium per annum; taliter verò promoti, ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælati visum fuerit, ipso jure sint suspensi. Verum cum dare primam tonsuram, sit actus Pontificalis, esto interdum sine insignibus celebretur (cum jure comunni, & ex prima institutione sua solis Episcopis competat) Resp. probabiliorem esse negativam; ita Sanchez in opusc. moral. tr. 2. c. 1. d. 20. nu. 35.

1267. Quæres 3. an Episcopus possit ordinare, vel Pontificalia exercere in loco exempto, sine licentia Episcopi, in cujus diocesi, saltem materialiter, & physicè, existit ille locus exemptus? communis responsio est negativa ex declarat. Cardinal. ad sess. 6. de reform. c. 1. declarat. 2. & 3. S. nec etiam potest; sic Barbosa de offic. Episcopi

scopi p. 2. allegat. 6. nu. 12. nec quidem de licentia Prælati, qui præest ei loco exempto, ut notat idem nu. 11. Videri tamen posset, quòd sic; quia *locus exemptus ab Ordinario*, in ordine ad juris effectus, & dependentiam ab illo, *non est de illius diocesi*. Nam si locus exemptus sit extra diocesim, seu nullius diocesis, potest, *de licentia tamen Prælati*, vel Superioris, qui tali exempto loco præest, ut constat *ex cit. declaratione 3. ad cit. c. 5. Concilij Trid.* ubi dicitur, sic Greg. XIII. declarasse; at illi æquivalet locus exemptus; V. super hoc infra dicenda à nu. 2794.

2168. Quæres 4. an in loco vel specialiter, vel generaliter interdicto? R. negativè. Nam interdictum omnem Sacramentorum usum prohibet, illis tantum exceptis, qui specialiter in jure excepti sunt; sic Barbof. *cit. allegat. 11. nu. 21.* at ordinum collatio nullibi in jure excepta reperitur.

ARTICULUS VII.

De Temporibus Ordinationum.

2169. Quæstio est, quibus temporibus Ordines licitè conferantur? Resp. *primam tonsuram* non esse alligatam certo tempore, ut generali consuetudine observari refert Fagnanus in c. 3. *h. t. n. 4.* Minores Ordines conferri posse non tantum in ordinationibus generalibus, sed etiam quovis die Dominico, vel festo, saltem non multis, c. 1. & 3. *h. tit. junct. gloss. V. aut duos*, circa quod attenditur rectè consuetudo loci. Et hoc probabiliter etiam procedit de Abbatibus, qui suos tondere, & in minoribus ordinare possunt; Pirhing *hic nu. 78. §. not. 2.* Ad sacros autem Ordines nullus, præter Romanum Pontificem (*secluso privilegio speciali*) ullum, etiam subditum, de jure promovere potest *extra tempora à jure statuta*; hæc autem sunt Sabbatha quatuor temporum, Sabbathum ante Dominicam Passionis, & Sabbathum ante Dominicam Resurrectionis Dominicæ c. de eo 3. *h. t.* ubi Alexander III. Episcopo Herfordensi scribit: de eo autem, quod quæstivisti, *an liceat, extra jejunia quatuor temporum*, aliquos in ostiarios, Lectores, Exorcistas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promovere? taliter Respond. *quòd licitum est Episcopis, Domi-*

nicis, & alijs festivis diebus, unum, aut duos, ad minores Ordines promovere; sed *Subdiaconatum, nisi in quatuor temporibus, aut Sabbatho sancto, vel Sabbatho ante Dominicam de Passione, nulli Episcoporum (præterquam Romano Pontifici) licet aliquos ordinare*; & consuetudo contraria, tam inducta, quàm inducenda, reprobat *ur c. sanè 2. h. t.* ibi: *sanè super eo, quòd moris esse dixisti in Ecclesijs quibusdam Scotia, verum & Vallia in dedicationibus Ecclesiarum, vel altarium, extra jejunia quatuor temporum, Clericos ad sacros Ordines promovere*: significamus, quòd *consuetudo illa (utpote institutioni Ecclesiastica inimica) est penitus improbanda*; & nisi multitudo, & antiqua consuetudo terræ esset, *taliter ordinati non deberent permitti in susceptis ordinibus ministrare*: nam apud nos sic ordinati deponerentur, & ordinantes privarentur auctoritate ordinandi.

Not. autem 1. ubi consuetudo est, *primam tonsuram, & minores Ordines, tempore Ordinationum generalium conferri, etiam posse præcedenti feriâ sextâ, vel quartâ ad vesperam quatuor temporum*; sic Barbof. *cit. allegat. 11. n. 17.* quamvis seclusa consuetudine minores conferri aliàs debeant *mane*, juxta Pontificale Romanum; nec requiri, ut prima tonsura, & quatuor minores Ordines conferantur ab ordinante, dum est jejunos; nec, ut sub Sacrificio Missæ Barb. *cit. nu. 10. Nor. 2.* quando diximus permitti, ut minores Ordines conferantur *quovis die dominico, vel festo*, per *festum*, hîc intelligi, velle Pirhing *cit. §. 3.* festum non chori tantum, sed quod in foro externo à populo quoque celebratur, saltem in particulari Ecclesia; dicentem, sic declaratum à Sacra Congreg. Concilij apud Fagnan. in c. 3. *h. t. n. 42.* V. quæ dicam à nu. 2182.

§. I.

An extra tempora, jure statuta, promoveri possint Regulares ex privilegio?

2170. IN nu. 2169. diximus, nullum, etiam subditum, ab ullo, nisi summo Pontifice, promoveri posse ad sacros Ordines *extra tempora à jure præscripta secluso privilegio speciali*. Hoc intelligendum est, *specia-*

speciato jure communi. Nam de privilegio, & ex concessione speciali, bene possunt Ordines, etiam sacri, etiam extra tempora à jure statuta, conferri taliter privilegiatis. Tale privilegium habent Religiosi Societatis IESU, ut facultate Præpositi Generalis, extra tempora à jure statuta; & ex facultate Provincialis, non servatis interstitijs, ad sacros Ordines promoveri possint, & quemlibet Episcopum requisitum Ordines conferentem, obligatum esse, huic dispensationi acquiescere; sic Gregor. XIII. in *Constit. Pium*, & utile, ubi præcipit, ne Episcopi, ob Tridentini decreta, à nostris observantiam interstitiorum, & aliorum, qua suscipiendis ordinibus requiruntur, exigant. Sic complures, præsertim Castropalaus p. 4. tr. 27. D. unic. p. 13. à. n. 11.

2172. Not. autem 1. hoc Privilegium, Societati concessum, non competere alijs Religiosis, causâ communicationis, esto in alijs Privilegijs communicent cum Societate; patet ex *cit. constit. Greg. XIII.* ibi: *presentis autem gratia communicationem, omnibus alijs, etiam qui sua Privilegia cum Societate copiosè participant, participareq. poterunt, quomolibet in futurum fieri, omnino prohibemus.*

2173. Not. 2. quòd Innocentius XII. (postquam particularis Congregatio à Sanctissimo deputata 14. Decembr. 1695. decretum edidit super moderatione indultorum, suscipiendi Ordines extra tempora à jure statuta) facta ad se relatione 17. Aug. 1695. hujus quæstionem: *an in eo, etiam Clerici Societatis, comprehendantur?* factaq. prævia declaratione quòd *in eo decreto non comprehendantur Clerici Societatis IESU, specialiter, & expressè mandaverit, in eis, ad Ordines promovendis, servari constitutionem Greg. XIII. qua incipit: Pium: & utile, datam. 22. Septembr. 1582.*

§. II.

An ante Concilium Tridentinum quibusdam alijs Regularibus datum sit ejusmodi Privilegium?

2174. **R**esp. affirmativè, uti videri potest apud Passerinum tom. 2. de Statibus hominum, q. 189. Inspectione 10. c. 4. à n. Tom. I.

830. Cotonium in *Summa Diana V. Ordinis subiectum n. 35.* & alios passim; & in specie refert Castropalaus *cit. n. 13.* ab Eugenio IV. concessum esse, quòd *singuli Religiosi Ordinis S. Benedicti, presentes, & futuri, ad id idonei; quos Prior sui Monasterij ad hoc elegerit, sive nominaverit, semel duntaxat anno quolibet, omnes etiam sacros Ordines, una, & eadem die, etiam extra tempora, à jure statuta, à quibusvis Catholicis Antistitibus, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus (cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ) suscipere, dictique Antistites eisdem Religiosis Ordines hujusmodi conferre possint; sic etiam habetur in *Compend. Medicant. Tit. Ordines sacri §. 8.**

2175. Quæstio est, an dicto Privilegio derogatum sit per Tridentinum? In hac quæstione Vasquez, Henriquez, Rodriquez, Barbosa, Bonacina, Miranda, & complures alij apud Castropal. *cit. n. 10. & 13.* docent, Prælati aliarum Religionum ademptam esse à Tridentino facultatem dispensandi cum suis, ut *non servatis interstitijs, & temporibus ordinationum* à jure statutis, ordinari in sacris possint. Alij econtra docent, illis Privilegijs quoad prædictam facultatem à Tridentino nihil esse ademptum; sic plures apud Castropalaum *cit. n. 13.* quibus adde Passerinum supra *cit. &* apud hunc complures alios inibi relatos.

Privilegio Societatis, hucusque, in hoc puncto nihil omnino esse ademptum in his, quæ spectant ad collationem, & receptionem Ordinum, constat ex n. 2173. & patebit ex sequentibus; sed nec Privilegio aliorum Regularium, vi cujus eorum Superiores cum suis dispensare possunt, *ut ordinentur in sacris non servatis interstitijs, aut temporibus ordinationum à jure statutis*, per Concilium Trid. esse derogatum, probabiliter docent Authores relati *n. preced.* quod etiam tanquam probabile tenet Castropalaus *cit. n. 13.* Ratio sumitur ex eo, quia nullus extat locus Tridentini, tale illis Privilegium adimens, ut patebit ex Resolutione eorum, quæ contraria sententia pro se adducit. Igitur

2176. Dices 1. Tridentinum *Sess. 23. de Reform. c. 8.* statuit, *ut Ordinationes sacrorum Ordinum statutis à jure temporibus celebrentur.* R. 1. per hunc locum nihil de-

rogari Privilegio Societatis; cum ei concessum sit à Greg. XIII. post Tridentinum, non obstantibus ejus decretis, ut constat ex n. 2171. præsertim, cum novissimè Innocentius XII. specialiter, & expressè mandaverit quoad Religiosos Societatis, in Ordinationibus servandam constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit: *Pium, & utile*, ut dixi supra n. 2173.

R. 2. per eum locum, nec Privilegijs aliarum Religionum in hoc puncto aliquid esse ademptum. 1. quia caret clausulâ derogante; 2. quia solum dicit, quid fieri debeat de Jure; non autem, spectato Privilegio; 3. quia nullam facit mentionem Regularium; 4. quia ille locus rectè intelligitur de Ordinationibus solennibus, seu generalibus; 5. rectè observat Passerinus cit. & alij, quod Pius V. in sua Constitutione 41. §. 7. declaraverit, per c. 8. dictæ Sess. 23. non comprehendi Regulares.

2177.

Dices 2. Tridentinum Sess. 25. de Regular. c. 22. præcipit observari omnia, & singula, quæ in præcedentibus decretis continentur, non obstantibus Privilegijs. R. 1. per hanc clausulam non derogari Privilegijs concessis post Tridentinum, quale est Privilegium Fratribus Minoribus concessum à Clement. VIII. & Paulo Anno 1609. Cal. Decembr. ut possint ordinari extra tempora à jure statuta in Dominicis, vel festivis diebus, de quo Barbosa in Trid. Sess. 23. de Reform. c. 8. n. 4.

R. 2. per eam clausulam, ad summum derogari privilegijs, quæ contrariantur decretis contentis in illa Sess. 25. de Regul. in his autem nihil statuit de Ordinationibus, contrarium Privilegijs Regularium; ergo. Maj probatur 1. quia illa derogatio est odiosa; ergo non debet extendi ad decreta omnium Sessionum, sed solum ad ea, quæ sunt in ea Sessione facta; sic Castropal. cit. n. 13. §. neque verum est. Probatur 2. quia si voluisset derogare omnibus privilegijs, contrariantibus Tridentini decretis, non tantum in ea, sed in omnibus alijs Sessionibus contentis, debuisset eam clausulam ponere in ultimo decreto Sess. 25. de Reform. aliàs enim non posset afficere omnia prædicta; hoc autem non præstitit; ergo; sic Cochier. p. 2. q. 54. n. 9. Passerin. cit.

2178.

Dices 3. Greg. XIII. & Sixtus V. confirmantes Privilegia Mendicantium, ad-

dunt hanc clausulam: *dummodo decretis Tridentini non adversentur*; ergo tacite voluerunt infirmare ea, quæ Tridentino adversantur; sed privilegium, de quo in præsens, est tale, ergo. R. aliud non colligi, quàm quod privilegia Tridentino adversantia non confirmaverint, sed reliquerint sub opinione disputantium, an à Tridentino sint revocata; sic Castropal. cit. n. 13. §. neque verum est.

Dices 4. Greg. XIII. prohibet, ut patet ex n. 2112. hic, ne alij Religiosi in hoc Privilegio, Societati concessio, communicent; sed ex hoc solum sequitur, quod illi hoc Privilegium non habeant, viâ communicationis cum Societate; non autem, viâ concessionis sibi factæ, vel communicationis cum alijs, qui id habent. Deinde esto Privilegia aliarum Religionum quoad ordinationes extra tempora, & non servatis interstitijs revocata essent à Tridentino, tamen speciali constitutione Clementis VIII. innovata esse testatur Castropalus cit. in fine, & apud eum Rodriguez & Villalobos, & ibidem approbat Barbosa in Remiss. Trid. Sess. 23. c. 8.

2179.

Dices 5. dispensationem in interstitijs, etiam in Regularium Ordinationibus, pertinere ad Episcopum ordinantem, declaravit sacra Congregatio Trid. R. hoc nihil obesse Privilegio Societatis. 1. quia ea declaratio novem annis præcessit concessionem Greg. XIII. 2. quia constitutio Gregorij ipsi decreto Conciliari, derogat quoad vim, qua vellet complecti Societatem in eo Privilegio; ergo multò magis ejus declarationi. R. 2. declarationem non habere majorem vim, quàm habeat lex declarata, ut constat ex dictis; sed decreta Tridentini vi sua nihil adimunt huic Privilegio aliarum Religionum, ut jam ostensum est; ergo nec eorum declaratio.

2180.

Præter hæc not. 1. privilegio, ante Tridentinum concessio, quale est illud Eugenij, de quo n. 2174. vi cujus Regulares ordinari poterant à quovis Episcopo Catholico, etiam eodem die susceptis pluribus ordinibus sacris, expressè derogatum esse quoad hoc punctum à Tridentino Sess. 23. c. 13. de Reform. ibi: quod, si quis ab alio, quàm proprio Episcopo promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel Privilegij prætextu, etiam statutis temporibus permit-

2181.

tatur;

tatur; sic Castropal. cit. D. unic. p. 13. num. 13.

Not. 2. eum, qui citra Privilegium, vel dispensationem, extra tempora, se promoveri facit in sacris, incurrere suspensionem ab executione Ordinis sic suscepti, dum impleverit penitentiam impositam ab Episcopo, qui in culpa non fuit, c. cum quidam, c. consultationi tuae h. t. junct. gloss. V. utrobique: Ordinantem autem privari potestate conferendi Ordines, quos illicitè contulit, c. cum quidam, c. sanè, c. literas h. t.

§. III.

An Privilegium recipiendi Ordines extra tempora restrictum sit ad dies Festos, etiam in foro?

Cum in Privilegijs recipiendi sacros Ordines extra tempora consueta, communiter ponatur facultas, eos dandi, & recipiendi diebus Dominicis, vel Festis; quæstio est, an Festum hic supponat pro Festo chori, & fori, an pro Festo tantum chori? quale est Festum, quod in Choro celebratur ritu duplici, vel semiduplici, esto tali die populus det operam servilibus? Nam Urbanus VIII. in recognitione Pontificalis, titulo de Ordinibus conferendis, mandavit addi, diebus festivis, de præcepto; Castropalaus autem cit. n. 13. in fine, judicat, probabilius esse, intelligi Festum chori, & fori, quod scilicet sub præcepto celebrari debet à Clero, & populo, cum abstinentia à servilibus, nisi addatur Festo duplici, aut semiduplici. Tunc enim, ait, sufficere, etiam tale Festum, licet sit solius chori. Ratio ejus est, quia Festum, juxta communem significationem, supponit pro die festivo sub præcepto audiendi sacrum, & abstinendi à servilibus; sed in illis Privilegijs sic Festum accipitur; ergo. Sic etiam Pirhing h. t. n. 81. Azor. p. 1. l. 2. c. 27. q. ult. Barbosa cit. allegat. 11. n. 18. & contrariam sententiam prohibitam esse in decreto Urbani VIII. monet Cardinalis de Lugo l. 11. respons. moral. dub. 43. Volunt autem Barbosa, & Castropalaus apud Gobat in Theolog. Experiment. tr. 8. n. 479. sufficere, si sit Festum habens solennitatem dici Festi in tali die; & ipse Gobat à n. 486. sufficere, si ce-

Tom. I.

lebetur tale Festum solenniter in solo aliquo Monasterio; vel si in choro, & foro, non ex præcepto, sed ex mera devotione; vel si ex præcepto, sed solum ante prandium; quia Pontifex non tam respicit qualitatem præcepti, quam solennitatis publicæ. Contra pro tali casu sufficere Festum duplex solius chori etiam ad majores Ordines, docet Rodriguez tom. 3. quæst. Regular. q. 23. a. 5. Fagundez l. 1. præcept. Ecclesia. c. 2. n. 12. P. Benedictus Pereyra in Elucidario n. 1345. ubi ait: non carere probabilitate, per Festos dies, in Ordine ad Sacra, & officia Divina, comprehendi etiam dies duplices, licet non sint à laboribus feriat, citans pro hac opinione P. Suarez tom. 1. de Relig. de diebus Festis, c. 9. n. 22. & in praxi eam sententiam esse probabilem, docet Castropalaus cit. Gobat cit. n. 472. & seq. tutam, Diana p. 5. tr. 13. resol. 97. & complures alij.

In hac quæstione judico, verum esse, quod per Festum de præcepto, proprie significetur Festum feriatum à servilibus, ut patet ex communi hominum usu; in significatione autem Juridica, seu jure favorabili, rectè etiam intelligi Festum chori tantum, quod habeat solennitatem ritus duplicis in choro tantum; cum ergo Privilegium hoc sit de jure favorabili, rectè dicitur, secundum illud, Ordines sacros licet conferri quolibet Festo duplici de præcepto, licet non feriato. Nec obstat, quod dicitur de decreto Urbani VIII. nam duplicia, etiam non feriat, rectè dicuntur de præcepto, prout ejusmodi Festa opponuntur Festis ad libitum, vel meræ devotionis, sine publica solennitate. V. Gobat à n. 474. Si autem Privilegium careat clausulâ: de præcepto, à fortiori res procedit; & sic habere nostram Societatem, constat ex Compend. Privileg. V. Ordines, §. 30.

§. IV.

De Interstitijs.

Per Interstitium hic intelligitur spatium temporis, quod ab uno accepto ad alterum Ordinem recipiendum interponi debet, ut Ordinatus in accepto exerceat se per illud tempus, priusquam ad alium ascendat. Quantum temporis ab uno minorum Ordinum ad alterum inter-

Qq 9 2

poni

poni debeat, non est Jure definitum, ut tradit Gobat in *Theol. experiment. tr. 8. n. 490.* addens *n. 492.* ex consuetudine jam recepta, omnes quatuor minores *simul, cum prima tonsura*, eodem die conferri; id, quod jam communiter observatur ab Ordinarijs; ab ultimo minorum Ordinum, ad susceptionem Subdiaconatus, *annus integer* interponi debet de Jure; Trid. *Sess. 23. de Reform. c. 11.* à Subdiaconatu, ad Diaconatum, *saltem unus annus*, sic Trid. *cit. c. 13.* à Diaconatu, ad Presbyterium *ad minus annus integer*; sic Trid. *Sess. cit. c. 14.* *annus* autem hic computandus est *Ecclesiasticè*, non *Physicè*; Castropal. *cit. n. 5.* scilicet à jejunio quatuor temporum hujus anni, usque ad simile jejunium sequentis; vel à Sabbatho Sancto hujus, ad Sabbathum sequentis anni.

2185. Pro his ulterius not. 1. à minoribus ad majorem, vel ab uno sacro ad alterum, ascensum non esse licitum, nisi habenti Privilegium, vel dispensationem (ut patet ex dictis) non servatis interstitijs, vel intervallo temporis præscripto; 2. quando necessitas, vel utilitas Ecclesiæ postulat, aliquem ordinari *in sacris*, posse Episcopum cum suis dispensare, ut id fiat, *non servatis interstitijs*; ut autem dispense pro transitu à minoribus ad Subdiaconatum, vel ab hoc ad Diaconatum, non sufficere quamlibet rationabilem causam; sed requiri, quòd hoc exigat necessitas, & utilitas Ecclesiæ; sic Castropalaus *cit. n. 6. & 7.* ex Trid. *Sess. 23. c. 13. & 14.*

2186. Ex his colliges, quòd ex causa rationabili Episcopus dispensare possit aliquem ordinari in quatuor minoribus simul, & Subdiaconatu, eodem die; quia nullum est jus id prohibens, cum solum *simul duos Ordines sacros, eodem die, conferri*, prohibitum sit; ita Vasquez, Henriquez, Layman, Villalobos, & alij, quos citat, & sequitur Castropal. *cit. nu. 5.* ubi ait, se ipsam vidisse, quòd in Hispania quatuor minores, *simul eodem die* cum Subdiaconatu collati sint.

2187. Duo autem Ordines sacri, *simul eodem die*, nulli, etiam Regularium, conferri possunt, nec in hoc ullus inferior Pontifice, seu Papà, dispensare potest, ut constat ex Trid. *Sess. 23. c. 13. de Reform.* quo sublatum est privilegium Benedictionis concessum ab Eugenio Papa, ut *eodem die om-*

nes sacros Ordines recipere possint, de quo diximus *n. 2174.* id, quod etiam constat ex *c. Literas 13.* ibi: *si enim utrumq. Ordinem eodem die conferre illi non licuit &c.* loquitur autem de Diaconatu, & Presbyterio; item 2187. ex *c. dilectus 15. de Temporib. Ordination.* ubi Episcopus, conferens eidem, *una die*, plures sacros Ordines, ab ordinandi potestate suspenditur; sic cum pluribus alijs Castropal. *cit. n. 13.*

2188. Not. 3. quando diximus, quòd proprius Episcopus cum suis dispensare possit *in interstitijs*, intelligendum 1. si ab ipso met ordinentur; 2. si eos dimittat ad Episcopum alienum cum dispensatione expressa in dimissorialibus, vel alio instrumento. Episcopus autem alienus nunquam dispensare potest cum alienis, etiam habentibus dimissoriales à proprijs Ordinarijs, nisi Episcopus, concedens dimissorias, in his exprimat, se Episcopo ordinanti, hanc facultatem concedere; Gobat. *cit. n. 493.* nam Episcopi Jurisdictio non est nisi *ad suos* tantum.

Nec obstat constitutio Innocentij XI. de qua locuti sumus hic *n. 2124.* ex qua male aliqui intulerunt 1. Episcopis per eam *prohibitum esse*, cum suis dispensare in interstitijs; 2. post eam constitutionem, non licere Episcopis *ordinare alienos subditos non servatis interstitijs*, licet à suis Ordinarijs afferant dimissoriales cum expressa ipsorum dispensatione in interstitijs. Nam utrumque fallit, ut constat ex dictis supra. Ex illis enim clarum est, quòd Episcopos permittat in jure suo quoad dispensationem, ipsis concessio in Tridentino, eosque nullo jure prohiberi, quò minus ordinent alienos, etiam non servatis interstitijs, si habeant dimissorias à suis Ordinarijs cum expressa dispensatione in illis.

2189. Not. 4. etiam Capitulum, Sede vacante, vel ejus Vicarium, interstitia posse remittere, in illis casibus, quibus potest alteri Episcopo dare licentiam ordinandi; sic Valensis hic *n. 7.* Cæterum Ordinans, vel ordinatus, *sine interstitijs* peccat quidem; sed nullam pœnam incurrit; sic Navarr. *Consil. 4. & 6. de Tempor. Ordinat. V. infra* à *n. 2795.*

Loquendo autem de qualitate Ordinatorum, & Ordinatorum, nota, per hanc nihil aliud intelligi, quam accidens aliquod;

quod, afficiens personam ordinandi, vel ordinati. Hoc accidens quandoque est *bonum*, ut morum probitas, prudentia, scientia &c. quandoque *malum*, ut morum pravitas, illiteratura, excommunicatio, suspensio, infamia, &c. sed de his in præfens nihil dicendum occurrit, cum

multa jam præmissa sint, reliqua in sequentibus dicenda, præsertim quoad quasdam irregularitates, quæ petuntur ex diversis accidentibus cujusmodi sunt defectus *natalium, servitus, bigamia, &c. V. num. 2795. & seqq.*

* * *

QUÆSTIO XII.

IN TITULUM XII. DE SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO.

1190. **P**er *scrutinium* in ordine faciendum hic intelligitur examen Ordinandorum; sic Desselius *hic* §. 1. Hoc scrutinium, seu examen Ordinandorum duplex est; unum ante, alterum in ordinatione faciendum; Vallensis *hic* *nu. 2.* Primum fit ante ordinationem, inquirendo (juxta Tridentinum *sess. 23. c. 7. de reform. de ordinandorum moribus, vita, natalibus, titulo, scientia, habilitate &c.*) secundum in ipsa ordinatione, quæ sit ab Archidiacono, quem Episcopus solet interrogare, an eum, quem exhibet ordinandum, sciat esse dignum? qui tunc respondet, se scire dignum esse, *quantum humana fragilitas patitur.* Primum examen fieri debet feriâ quartâ ante ordinationem, vel quando Episcopo videbitur; sic *Trid. loc. cit.* ibi: sancta Synodus, *antiquorum Canonum vestigijs inhaerendo*, decernit, ut, quando Episcopus ordinationem facere disposuerit, *omnes*, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, *feriâ quartâ* ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur; Episcopus autem, Sacerdotibus, & alijs prudentibus viris, *peritis divine legis, ac Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi ascitis*, Ordinandorum *genus, personam, etatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem*, diligenter investiget, & examinet. Ad hoc examen non tenetur Episcopus vocare Archidiaconum; sic Barbof. *in cit. loc. Trid. nu. 3.* Ut Archidiaconus licitè respondeat, se scire dignum, sufficit, *quod nesciat, illum esse indignum.* Barbof. *in c. unic. h. t. nu. 1.* non tamen rudi nescientia; quia re verâ non oportet *DEI, ac summi Domini nostri* ministerio aptare, nisi testimonialibus literis, ut verè pientissimè præcipit Innocentius

XII. de quo *nu. 2123.* legitime instructos, in qua re gravantur conscientia, de moribus, & scientia deponentium; si enim reflexio fiat, de aptandis ad ministeria *Seminarum*; quæ ibi cura?

Præter hæc not. 1. in hoc decreto Tridentini, per *civitatem* intelligi Ecclesiam Cathedrali; vel saltem, si ex causa alibi Ordines celebrari contigerit, Ecclesiam digniorem; sic Sylvester V. *Ordo. 2. n. 8.* quamvis, ut constat ex praxi, quandoque Ordines conferant Ordinarij etiam in Ecclesia communiore; aut etiam Oratorijs, vel proprijs, vel Monasteriorum, aut Collegiorum.

Not. 2. per ordinandorum *genus* intelligi, num sint ex parentibus Catholicis? vel de proditione damnatis, aut nati de Matre serva? num legitimi? non autem an descendant ex progenie Hebræorum; nisi alio impedimento laborent, quo excludantur à suscipiendis ordinibus; de quo V. Sanchez *in decalog. tom. 1. l. 2. c. 28.* per *institutionem* autem *ibid.* ut examinentur super titulo sufficienti, sine quo non debent ordinari, juxta dicta à *nu. 2151.*

Not. 3. Primum examen, pertinere ad Episcopum ordinarium; qui, si cui dat dimissorias, ad Episcopum alienum, instituere prius debet examen de vita, & moribus instituendi, juxta *Trid. sess. de reform. cap. 3.* ibi: Episcopi per semetipsos ordines conferant; quod, si ægritudine fuerint impediti, *subditos suos aliter, quam jam probatos, & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos, dimittant*; excipe, nisi malit, hoc ipsum committere illi Episcopo, qui sic dimissum ordinaturus est.

Not. 4. Episcopum, ad quem aliquis pro recipiendis ordinibus, à suo Episcopo, legitime dimissus est, esto hic habeat com-